

DISSERTATIO ACADEMICA;  
USUM, QUEM THEOLOGO STUDIUM  
PRÆSTAT HISTORICUM, PAUCIS  
EXPOSITURA

---

---

QUAM,

*Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi*

*Publice ventilandam sicutunt*

**GUSTAVUS ADOLPHUS  
BÉLITZ,**

*Pbiloſ. Magiſter,*

ET

**ABRAHAMUS PAULIN,**

*Stip. Reg. Australis.*

In Audit. Maj. die XII Dec. A:o MDCCXCVIII.

HORIS A. M. SOLITIS.

---

ABOÆ,  
Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

*Admodum Reverendo atque Praeclarissimo,  
D:NO JOHANNI BORGSTEDT,  
Ecclesiæ, quæ Deo in Laukas et Fyfuvåshylâ colligi-  
tur, Pastorî atque districtus adjacentis Præposito  
dignissimo,*

*Fautorî Suo Honoratissimo,  
Pagellas basce sacras voluit, debuit*

AUCTOR.



## PRÆFATIO.

**Q**uum Historia sit doctrina, notitiam factorum maxime memorabilium, quæ in hoc contigerunt mundo, exhibens, quisque statim animadvertisit, tantam esse illius amplitudinem, jucunditatem atque utilitatem, quantam sibi polliceri queat animus, discendi cupiditate accensus. Non equidem negamus, plures dari veritates, ad quarum cognitionem homines iugi meditatione pervenerunt; quibus tamen multo sunt plures, qua experientia & accuratum observationum face prælucente nobis innotuerunt; quarum proinde primordia ab Historiæ penu sunt repetenda. Et quum cæteris plerisque disciplinis unum quoddam præcipuum sit objectum, multiplex est, quam Historia pertractat, materia; quare etiam Eruditorum nonnulli Historiam in *Divinam, Angelicam & Humanam* dispescere svererunt, simul tamen non diffitentes, operacionum Angelicarum fragmenta tantummodo paucissima nobis suppetere (*a*). Quid porro summam loquamur Historiæ & jucunditatem & utilitatem, cuius utriusque intuitu Veterum Sapientes exquisitissima in hanc disciplinam cumularunt elogia (*b*), notiora, quam ut hoc atferenda sint loco. Profecto si hominem fingamus, cui ætas longævitati Patrum Antidiluvianorum par contigerit, et cui

---

*a)* Vid C. A. HEUMANNI *Prolegomena Historica in Poëciliis Tom. III, Libr. III.* p. 426.

*b)* Inter alios vide CICERONIS *Libr. II. de Oratore. Cap. IX.*

a fortuna fuerit datum, omnes orbis terrarum partes feliciter peragrasse, eumque illis locis, quibus res maximū momenti sunt gestæ, opportune præsentem; nemo dubitare potest, hunc & ingentem quotidie percepisse voluptatem, & suam ita acuisse mentem, ut quid in quovis vitæ suæ articulo sit consultissimum, haud operose perspiciat. Enimvero hoc ipsum, quod in desideratis plerique mortalium habent, sed natura nobis denegavit, præstat Historia, quam qui diligenter perlustravit, omnibus ætatisbus vixisse, omnes, factem celebriores, mundi regiones peragrassæ, & præcipuis etiam consiliis publicis intersuisse, suo licet Museo non sit egressus, non injuria videbitur. Sed quum ingentis omnino moliminis foret opus, præstantiam Historiæ accurate exponere, particulam solummodo enucleandam nobis sumisimus, pagellis bisce, quantum per ingenii tenuitatem licet, usum, quem Theologo Studium præstat Historicum, ostensuri, sperantes, B. Lectorem nostras qualescumque oblerationes pro suo in litteras favore meliorem in partem fore interpretatum.

## §. L.

Omnibus disciplinis communem habentibus originem, ab experientia quippe & ratione sua repetentibus incunabula, (iplam enim Revelationem, qua quoad posteriorem sui partem vera superstructa est Theologia, Sublimiorem rationem appellare quid impedit?) nemo miratur, nexus inter scientias dari, adeo ut alia ad alias illuminationem, quin & certitudinem, haud parum conferat. Qualem quoque inter Theologiam atque Historiam existere relationem invenimus. Quum enim Scriptura Sacra, fons præcipius cognitionis Theologicæ, qua majorem sui partem, commemorationem factorum, tam ipsam sanctissimam Religionem, quam res gestas antiquissima-

simarum haud paucarum gentium spectantium in se complectatur, & earum rerum serie, inde a mundi hujus exordio suum repetente initium, multa omnino in Religionis negotio commemorabilia plane ignoraremus, nisi Historiarum monumentis eadem nobis essent conservata. Quid? Quod locis Scripturæ Sacrae, quibus vel ambiguitas quædam vel obscuritas adhærente videtur, multum plerumque lucis ex Historia, in primis ex Historiæ Sacrae cum civili parallelismo, accedit. Neminem præterea, in Historia Litteraria vel aliquantum verlatum, fugere potest, Atheos, Naturalistas, Libertinos, aliosque infensissimos veræ Religionis hostes, auctoritatem Scripturæ Sacrae convellere nitentes, opinionum suarum robur præcipuum arcessere ex momentis quibusdam Histicis (c), speciatim Chronologicis atque Genealogicis, Sacro Codice passim commemoratis, & partim secum invicem, uti videntur, pugnantibus, partim etiam aliorum Scriptorum, quibus majorem habent fidem, testimonii non convenientibus. Qua igitur, quælo, ratione Theologus ejusmodi oppositionum tela, in salutiferam doctrinam directa, valide retorquebit, nisi his fortiora arma ex accuratoriis Historiæ armamentario desumpta opponere, eademque aperte vibrare noverit? Si hoc destituitur præsidio, fieri facile

po-

c) Multa omnino molitur ingeniosissimus Marchio D'ARGENS in libro, quem appellat *La Philosophie du bon Sens Tom. I. Reflexion I.* ut ostendat, tum Historiam Mosaicam non esse Universalem, sed populum Judaicum tantummodo spectare, tum etiam ut probet, facta ministerio Motis peracta, miraculorum clasii non esse inferenda, propterea, quod eadem præeuntibus Histicis profanis, modo prorsus naturali explicari queant. Qui vero calculos aliter subduxisset, si severiori mentis lance res expendisset.

potest, ut dubitationum laqueis primum ipse irretiatur, & dum his se extricare nequit, hæresin turpiter amplectatur.

### §. II.

Noto est notius, argumenta, quibus Summi Numinis existentia solet demonstrari, ad tres referri clasres, eademque esse vel *Metaphysica* vel *Physica* vel denique *Historica*, ultimique hujus generis probationis cardinem in eo potissimum verti, quod omnes gentes, inter quas ratio ac boni mores non plane extincti inducta feritate fuerunt, consentiant, aliquem dari Deum, quamvis qualis Ipse sit, ignoraverint non paucæ. Hoc tamen argumentum, a Gentilibus commemoratum, et ab Eruditis superioris seculi haud exigui roboris habitum (<sup>d</sup>), a recentioribus nonnullis fuit plane explosum, siquidem ex Itinerariis constaret, inventas esse quasdam Nationes, inter quas nulla apparuerint indicia cognitionis de Deo, saltem ut Supremo cœli terræque Moderatore. Quocirca statim ab initio damus, universalem gentium consensum, si admittatur, ex sua natura non pro demonstratione, sed potius pro probationis agnitione esse habendum. Quod sicut per se clarum, ita ex adverso est explicatu difficilius, unde contentus hic gentium sit repetendus. Enimvero non id in præsenti agimus, ut in originem persuationis gentium communis de existentia Dei inquiramus, multo minus ut eam ab ideis innatis, iure meritoque explosis, arcessamus, quum his in præsenti arguento admissis, sequeretur, omnes gentes, quantumvis caeteroquin diversas, conformem tamen de Deo notionem habituras, eodemque modo cultum ei exhibituras, quod ta-

---

<sup>d</sup>) H. GROTTI *Libr. de Veritate Religionis Christianæ p.*  
*ii. 4.*

tamen experientia repugnare novimus. Conjecere nihilominus licet, homines quosdam indolis paulo erectioris partim ex stupendis naturae phænomenis, partim ex momentosis vitæ suæ articulis, partim ex aliis causis singularibus ad istam primam deductos fuisse cognitionem, in eademque magis confirmatos, eam cum liberis & amicis suis communicasse, ipsamque deinceps ex una generatione in alias quam plurimas fuisse propagatam. Quicquid hujus sit, certum tamen est, nullam esse gentem barbaram, in qua invenire non detur saltem quædam vel idolatriæ vel superstitionis, quæ utraque est Religionis, corruptæ licet ac depravatae, species, indicia, aut quæ sacrificiis suis non delectetur ceremoniis; unde concludere possumus, nullam omni Numinis sensu, undecunque repetendo, esse destitutam. Qui contrarium adfirmarunt Pereginatores, vitium subreptionis, ut loquuntur Logici, forte commiserunt, inde proveniens, cum quod barbaræ istæ gentes, quas adierunt, notionem, quam de Deo haberent, sua lingua satis exprimere non possent, tum quod populi tantum non omnes, religionem ad res maxime arcana, in quarum communionem peregrinos admittere piaculum ducunt, referant, tum denique quod cogitationes suas ultra sensualia elevate non possent isti populi, rebus proinde creatis, quas caeteris præstantiores habent, divinitatem tribuentes.

## §. III.

Instet vero forte quispiam, de præstantia Theologiae derogaturus, ac contendat, minus necessarium esse ostendere, cognitionem Dei esse universalem, quum Historia doceat, dari gentes, quarum Theologia sit ambigua, alias nihilominus aliasque virtutes exercentes, civitatibus cæterisque societatibus firmandis perutiles; quod exemplo Si-

marum præcipue constare arbitrantur. Quocirca duo ex-pendenda veniunt momen a, primum an Sinenses omni Dei cognitione deltiuantur, deinde an bonæ iplorum ac-tiones albo virtutum inscribi mereantur. Agre profecto aslequimur, quo fieri possit modo, ut gens, tanto ingenii & judicii acumine gaudens, quanto præ cæteris se pollere jactitant Sinenses, non perfectiorem aliquam haberet Theologiam Naturalem; attamen ex Historia discimus, Na-tionem hanc omni Dei cognitione non caruisse. Adfert nimirum Cel. BRUCKERUS verba Confucii, præcipui Si-narum Doctoris: Scilicet *Sacrificiorum cœli & terræ ritus & officia fuisse id, quo colebant duntaxat cali ac terræ Supremum Imperatorem*, qui duabus literis Xam-ti apte ad-modum ac literaliter significetur (e). Ex probatissimis præ-terea Scriptoribus ostendit idem Auctor, priſcos Sinas sta-tuisse, primo suo principio (Deum intelligent) inesse sapi-entiam, benignitatem, justitiam & omnipotentiam, adeoque Divinam dari Providentiam, hanc vero eorum cognitio-nem successu temporis fuisse valde corruptam (f), quæ illa est, quam taxat Illustr. Baro WOLFIUS (g). Sicut ita-que Sinenses accuratiore quadam Dei notitia carent; ita quoque moralitatem actionum suarum ex gloria nec non ex facilitate ad majores opes & sublimiores honorum gradus earum ope perveniendi, potissimum æstiment; cæterum, more veterum Spartanorum, quodvis tere fraudulentiæ genus sibi permittentes, quoties illam dex-tre exercendo spes eximii lucri percipiendi eis se offerat. Denique nescimus, quali aut quanta felicitate civili in um-broso, qui apud eos est, disciplinarum statu Sinenses fru-

an.

e) Vid. *Jac. BRUCHERI Histor. Crit. Philosophiae Tom. V. p. 884.*

f) Vid. *Libr. modo citati p. 883.*

g) Vid. *Orationem de Sinarum Philosophia Practica.*

antur; nos tamen haud fugit, grayissimo eos subesse imperio Despotico.

#### §. IV.

Ex Historia discit ejam Theologus completionena multorum vaticiniorum, in Sacris Pandectis occurrentium, quo quidem modo tam ipse inde convincitur, quam alios reddit certiores, eadema Deo fuisse revelata. Sic Christum, Salvatorem nostrum, esse verum illum Patribus promissum Messiam, certissime colligitur ex completione vaticiniorum in ipso quoad adventus sui tempus, locum nativitatis, modum & alias circumstantias, vitam suam spectantes. Similiter animus noster quasi jucunde pascitur, dum in Sacris Bibliis legimus, Prophetam Elajam nomen Primi Persarum Monarchæ Cyri ac præcipuas hujus res gestas sesquicentio ante prædixisse, quam ipse natus fuit, ceu constat ex collatione Historiæ Sacrae El. XLV & civilis. Eadem porro Historia Civilis interdum suo testimonio confirmat miracula, in Sacro Codice commemorata, quæ generalia & ipsum nostrum adfecerunt Systema Planetarium; quorum quædam dabimus exempla. Scilicet in Historia Sacra Veteris Testamenti duæ memorantur Solis revolutiones plane singulares, altera dum Sol juxta preces ab Israëlitarum Duce, Josua, ad Deum fusas per integrum diem morabatur suum occasum, vel ut verba Scripturæ Sacrae Josuæ X. 13 habent: *Stabat Sol in medio cœli, neque festinabat ad occasum, quasi diem integrum (b).* Altera huic germina est,

B

dum

b) Nos quidem non fugit, plures hodie Philologos inclitos ex. gr. Cel. J. A. DATHIUM, in Libb. *Histor. Vet. Testamenti p. m. 33 & 34*, JO. DAV. MICHAELIS *Annott. ad Lib. Josuæ C. X. v. 13*, HERDER *Geist der Ebr. Poësie Tb. II, p. 247 sq.* phænomenon in hoc loco

dum Judæorum Rex Hiskias, morti vicinus, tenerimis ad Deum pro sua restituzione precibus fuisis, per Prophetam Esajam gratiosissimum accepit promissum, se sanitatem intra triduum recuperaturum, in fidem hujus promissi petens signum, Deus ad suam rogationem fecit umbram in horologio Sciaterico Achazi decem gradibus regredi 2 Reg. XX. II., seu tempori diei tum transacto adiectæ fuerunt decem horæ, quæ spatio unius fere diei naturalis in istis respondent locis; adeoque ejusdem fere tenoris isthæc fuerunt miracula. Quid vero hisce phænomenis simile in profana memoratur Historia? Profecto refert Herodotus, se ab Ægyptiorum Sapientibus accepisse, (mittimus quæ in hac narratione nobis videntur ficta & hyperbolica) Solem bis in eo loco esse ortum, in quo ad consuetum naturæ ordinem quotidie occidit, & bis in eo occidisse loco, ubi alias oriri solet (i); quod utrumque

commemoratum pro extraordinario quidem, non tamen plane insolito, nedum unico in suo genere habere, ac illud ex Principiis Dioptricis explicare conari. Constat scilicet, imaginem Solis propter radiorum in Atmosphæra refractionem post illius occasum aliquamdiu supra horizontem videri. Dabitur autem, spero, nobis venia, si litterali verborum Scripturæ Sacrae sensui, a quo, habitâ bonitatis & omnipotentiae Divinæ ratione, nulla nos recedere cogit necessitas, modeste inhæreamus; & quum disertis verbis dicatur, *Solem per integrum diem non occidisse, atque talem diem neque antea neque postea fuisse.* contra ea vero legibus Dioptricis convenienter Solis imago per aliquot saltem minuta post suum occasum se conspicendam præbeat, ingeniosam magis, quam veram censemus commemoratam hujus prodigiæ explicationem.

(i) Vid. *Historiar. Libr. II. n. 142.*

que prodigium phænomenis in Sacro Codice commemo-  
ratis & a nobis jam indicatis, ingeniose applicat doctissi-  
mus Goguet (*k*), cuius de hac re disquisitio digna est,  
quæ legatur. In Novo quoque Testamento fit mentio  
Eclipseos Solaris, die Salvatoris Christi emortuali factæ,  
Math. XXVII: 41, eo magis admirandæ, quod in Pleni-  
lunio ista contigerit Solis obscuratio, per tres horas du-  
rans. Ex observationibus Sinarum Astronomicis colligi-  
tur, eorum majores unam annotasse Solis eclipsin in ple-  
nilunio factam *l*). Præcipue autem insignem Theologo  
usum præstat Studium Historicum in dictorum quorun-  
dam Biblicorum genuina interpretatione; quem notis-  
simum sit, voces multas præter significationem etymolo-  
gicam insuper respectum habere ad certos ritus, olim fre-  
quentes, deinceps vero obsoletos, ac proinde non aliunde,  
quam ex vetustis Historiarum monumentis cognoscendos;  
cujus plura adferri possent exempla, si instituti  
permitteret ratio,

## §. V.

Inter argumenta, quibus probi cuiusvis animus ob-  
lectatur & quibus Theologus auditores suos ad pietatis  
aliarumque virtutum exercitium optime potest manudu-  
cere, merito habetur, consideratio Providentiae Divinæ,  
quam ex factis & admirando Dei in hæc sublunaria im-  
perio quotidie, ni mens leva sit, agnoscimus. Occupato  
autem in ejus meditatione & explicacione Theologo usum

B 2

præ-

*k)* Vid. *Dissertat. IX*, quæ occurrit in libro cui Titu-  
lus *L'Origine des Loix, des Moeurs & des Sciences*  
*Tom. VI. p. 266. seq.*

*l)* Vid. BAELTERS vår Frålsares *Historia Bok. VI.*  
*Cap. 33.*

præstat eximium Historia, dum occultas Providentiae Divinæ vias persequitur, & quam sapienter omnia direxerit Summum Numen ad id, quod efficiendum voluit, itemque quam vigilans Divina fuerit Nemesis in puniendis improborum, præcipue tyrannorum, malefactis (m), luculentur demonstrat. Scilicet theatrum est hic terrarum orbis, Scenæ vero Supremus Director nec apparet, nec cernitur, qui tamen a Sapientibus ex actionibus suis, serie prossus admirabili inter se connexis, cognoscitur; quare etiam nonnulli Historiam haud præter rem appellaverunt Speculum Divinæ Providentiae, cuius quippe documenta nobis in campo Historico exhibentur plurima, sive vitas singulorum hominum, sive fata ac conversiones magnorum imperiorum consideremus. Communi quidem dicitur proverbio: *Quemlibet esse fortuæ sue fabrum;* at quoniam nemo, qualis quantusque ille sit, fortunam in sua habeat potestate, quum etiam optime consulta non raro pesime cadant, ac temerariis etiam subinde faveat successus non exspectatus, saltem non exspectandus; fatendum erit, Supremi Numinis, de quo canit Poëta: *Ludit in humanis Divina potentia rebus,* moderamine ista contingisse, fatuumque esse habendum, quisquis casui, utique nostri respectu, fatuo stupendos vel inopinatos tribuerit effectus. Melius omnino fensit cordatus ROLLIN ita disserens: *La Providence de Dieu entre dans tout, préside à tout, jusques dans le moindre détail, règle & fait tout.* Et nonnullis interjectis: *H(é) Dieu parvient à ses desseins par les moyens les plus contraires, comme L'Histoire de Joseph le montre, & souvent il y parvient par des moyens qui paroissent l'effet du hasard, quoiqu'ils soient tous concertés & préparés par une sagesse infinie, comme l'Histoire*

(m) Speculum Providentiae Divinæ præter alios nobis reliquit LACTANTIUS in Libro de Mortibus Persecutorum.

*Stoire de David depuis son état de Berger jusqu'à la mort de Saül le fait voir clairement (n). Rursum regnum & imperiorum evolentes Historias, animadvertisimus, cum quædam eorum ad potentiae ac gloriæ culmen erecta, ac quorum Principes fata aliarum nationum suis tenere manibus & ex suo volvere arbitrio videbantur, ex levi causa præter suam & aliorum opinionem fuisse diruta; contra ea autem tenuem atque inconditam pastorum turbam, cum Iquatore & miseria diu colluctantem, ad summum potentiae fastigium quasi per gradus ascendisse, atque in eodem per plura substitisse secula. Quæ facta recte evolvens Theologus, non solum auditorum attentionem in colloquiis familiaribus sibi devincere potest, sed simul efficere, ut hi modo sensibili discant, nec cristas in secundis esse erigendas, nec in adversis de Divino dubitandum auxilio, suaque sorte esse contentum, quisquis in Divinæ Providentiae sinu tranquillus ostendatur.*

## §. VI.

Quam in veritatis indaginem tempus habeat vim, de eo ab Eruditis haud parum fuit disputatum, arbitrantibus nonnullis, antiquissimum quodvis esse etiam verissimum, aliis vero solidioris doctrinæ palmam Recentioribus vindicantibus, utpote album plerunque merentibus calculum, quoties de rebus humano iudicio subjectis, disquiritur. Secus autem se res habet, dum quæstio instituitur de vera Religione & hujus præceptis. Quum enim Deus sit veracissimus idemque immutabilis, ipsa Religio in eo fundata & ab eo profecta, vicissitudinibus temporum qua suam indolem non est subjecta, quamobrem etiam argumentum pro adstruenda Religionis veritate ab hujus antiquitate sumitur. firmissimum. Quo igitur momentofo in

n) Vid. *Traité des Études Tom. III, p. 153, & 154.*

In argumento ut Religio Papistica cæteris prævaleret, hu-  
 jus defensores jactitare solent, suam Religionem ultra se-  
 decim secula suis receptam, eamque proinde tredecim  
 seculis Religionem Evangelicam seu Lutheranam antece-  
 dere. Qui vero aliter sentirent, si integerrimos consule-  
 re vellent annales, ex quibus discerent, Religionem Evan-  
 gelicam esse mundo coævam, utope in Scriptis Prophe-  
 tarum, Christi & Apostolorum totam quantam fundatam,  
 cultui divino in Ecclesia primitiva vigenti congruam, at-  
 que a Megalandro Luthero non inventam, sed dignitati suæ  
 quasi postliminio restitutam. Simul etiam ex eisdem disce-  
 rent, innumeras traditionum atque superstitionum laci-  
 nias purpuræ cælestis illius Religionis a Romanensibus ite-  
 rum iterumque adslutas, atque Divinum his statutum pre-  
 tium, prudentioribus licet non ignorantibus, easdem esse  
 Hierarchiæ inventum. In Ecclesia sic dicta primitiva, ne-  
 mo ullus agnovit Pontificis Romani in rebus Sacris infalli-  
 bilitatem, indulgentiarum ad obtinendam peccatorum re-  
 missionem valorem, cultum sanctorum, transubstantiatio-  
 nem, cælibatum Clericorum, purgatorium & alia ejusmo-  
 di religiosa scilicet commenta, & quorum proinde nomi-  
 num in antiqua Historia Ecclesiastica nullum occurrit ve-  
 stigium. Quid? quod ex Historia constet Litteraria, mul-  
 tos eosdemque cordatos Theologos, hoc a Pontificiis agi-  
 tato argumento excitatos, ac de veritate Religionis *γνῶσις*  
 Christianæ indaganda sollicitos, annales omnium tempo-  
 rum perlustrasse, indeque collegisse cum genuinam Reli-  
 gionis modo dictæ indolem, qualis eadem primis fuit se-  
 culis, tum quas ipsa mutationes iterumque subierit.  
 Huc imprimis spectat opus illud, quod *Centuria Magdebur-  
 genses* inscribitur, Reformationis Ecclesiæ seculo in publi-  
 cam emissum iucem, contra quod Cardinalis *Cæsar Baro-  
 nius* annales suos Ecclesiasticos concripi;

## §. VII.

Mota quoque fuit controversia: An Baptismus rectius vel per immersionem hominis baptizandi in aquam , vel per adspersionem aquæ in caput ejus administretur? Disputantibus inter se convenientibus, aquam omnino ad hujus Sacramenti essentiam pertinere, de modo autem aquam in actu baptismali conferendi dissentientibus. Qua vero de re, quum nullum habeamus mandatum Divinum, in subsidium vocanda est Historia , ex qua discimus utrumque modum in Ecclesia Christiana inde ab hujus fundatione obtinuisse. Quarvis enim Salvator Christus in flumine Jordane a Johanne baptizaretur, probabile tamen vix est, eum totum fuisse aquæ immersum, sed potius aquam capiti ejus in Jordane stantis superflusam. Nec fieri potuit, ut Apostolus Petrus tria millia hominum uno baptizaret die Act. II. 41., si singuli ab ipso fuissent aquæ immergendi. Imo Christus ipse profiteatur, partialem corporis ablutionem ad totius hominis purificationem sufficere Joh. XIII. 10. Quibus addere licet, adspersionem maxime conuenire pudori naturali, & scandala, per nuditatem totius corporis non uno modo oriunda, praecidere. Quicquid autem horum sit, Historia docet, immersionem quoque primis Seculis in Ecclesia invaluisse Christiana, eundemque morem in Ecclesia Graeca adhuc vigere. Quid? Quod primi Praecones Christianismi in Septentrionalibus nostris oris medium inter immersionem & adspersionem tenuisse videantur, praesertim si veritati accedant picturae a Nob. Peringskjoldio propositæ, quibus majores nostri baptizandi sistuntur nudi, umbilico tenus in baptisterio stantes, quos manu superaffusa aqua tingit Sacerdos (e). Post seculum autem XII. rariora immersionis indicia occurrunt, imo hic mo-

e) Vid. hujus monumenta per Thjundiam p. 204 & mo-  
numenta Uller Åkerrensa p. 49.

dus in Prædobaptismo ob tempestatum rigorem nonnunquam sine manifesto vitæ infantis periculo adhiberi non potuit (p).

### §. VIII.

Denique ut quæ in amplissimo hocce argumento adhuc dicenda restant, paucis complectamur, generaliter obtrivandum, Historiam Theologo facem præterre, quoties argumentum aliquod rem facti spectat, cuius origo ac progressus non aliunde melius, quam ex Historiarum monumentis explicantur. Studio enim Historico deteguntur fraudes, quibus homines rudiores, quales antiquissimis temporibus plerique fuerunt, in pravas opiniones, imprimis vero in varia superstitionum genera, inciderint. Et sane nulla alia propior est ratio, quare Judæi, Muhammedani, quin & non pauca Christianorum sectæ corticem religionis potius, quam salutarem ejusdem nucleus tenaciter degustent, quam eorundem ignorantia ac præposterus Historiæ contemptus, qui si accuratius cognoscerent seculi Apostolorum & Ecclesiæ primitivæ conditionem, non facile permetterent, quævis sibi ut fide digna obtrudi. Quam generi humano necessariam illuminationem impediturus Pontifex Romanus, *Gregorius Magnus*, Pater ceremoniarum nuncupatus, jussisse perhibetur, acta quævis publica, nec non monumenta Historica vetera, ubicunque in orbe Christiano reperirentur, colligi ac penitus aboleri, fucum, quem vellet, cunctis populis in rebus tam Ecclesiasticis, quam civilibus, hoc stratagemate facturus. Imo quum Religionis dominantis exercitium statui Civili ubique fere terrarum fuerit innexum, Theologo aqua hæredit, nec veram Religionis receptæ faciem agnoscat, Historiæ civilis administriculis destitutus. Sed manum de Tabula.

p) Vid. BAELTHERS *Anmärknigar om Kyrko Ceremonier*  
ne 555 & seq.